





AD
SOLLEMNES EXSEQVIAS
FVNERI
VIRI
 ILLVSTRIS CONSVLTISSIMI ET AMPLISSIMI
 DOMINI
FRIDERICI WILHELMI
HEROLDI

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO BORVSSIAE REGI
 A SANCTIORIBVS CONSILIIIS

VT ET
 RERVM BELLICARVM ET DOMANIALIVM
 VENATIONVM ETIAM AC SYLVARVM FINIVMQVE
 REGVNDORVM CVRA
 CIVITATIS HALENSIS CONSVLIS PRIMARII
 PER OMNIA OPTIME MERITI

A. D. III. OCTOBRIS CIO ID CC XXXVIII.

IN COEMETERIVM EVNDAS
 ACADEMIAE FRIDERICIANAE PATRES AC CIVES

QVO DECET OFFICIO

INVITAT

PRORECTOR

IOAN. SAMVEL FRIDERICVS BOEHMERVS IC.
 POTENTISSIMO BORVSSIAE REGI A CONSILIIIS AVLICIS
 ET IVRIVM PROF. P. ORDINARIVS.

HALAE SALICAE

LITTERIS IOANNIS FRIDERICI GRVNERTI ACADEM. ET SENAT. TYPOGR.

1914 D 234



AD

SOLLENNES EXSEQUIAS

FVNERI

VIRI

ILLVSTRIS CONSILIISSIMI ET AMPLISSIMI

DOMINI

FRIDERICI WILHELMI

HEROLDI

SERENISSIMO ac POTENTISSIMO BORVSIAE REGI

AC SACROSANCTISSIMO CONSILII

ILLVSTRIS BEROLINENSIS ET DONAVALLIANAE

VIRIATIONVM ETIAM AC STEVARIAM VNIUSVQVE

RECTORVM CURA

ILLVSTRATIS HANNOVERENSIS CONSILII PRIMARII

ILLVSTRIS OMNIA CONSILII MERITI

AC VNIUSVQVE SACROSANCTISSIMI

IN COMMETTERIVM BANDAS

ACADEMIAE PRIDEVICIANAE PATRIAE AC CIVIS

QVO PACTO BRONCO

INSTITVIT

PROFECTOR

IOHANNES SAMUEL THIERCKVS BOHEMERIVS IC

PROFESSOR PRAECEPTOR ET CONSILII AULICI

AC VNIUSVQVE SACROSANCTISSIMI

HANNOVERAE

ILLVSTRIS BOHEMIAE PRIDEVICIANAE ACADEMIAE ET SENATUS PRAECEPTOR





Q Vicquid mortales sumus, agitamus, molimur,
& vel sensibus nostris subiicimus, vel cogita-
tione comprehendimus, id omne certis fini-
bus circumscriptum est, atque terminis, satis quidem an-
gustis, inclusum. Vitæ exordium in ipsis matrum corpo-
ribus non alia lege capimus, quam ut suo tempore in lucem
prodeamus: atque id ipsum momentum, quo in lucem
auramque communem enititur, tamquam carceribus emis-
sos stadio nos tradit, per quod ad metam eandem conti-
nuo decurrendum est omnibus. Momenta non sentienti-
bus fluentia horas implent, quæ ruendo dies exigunt &
continuo novos adferunt, quorum numero menses cen-
sentur, anni describuntur, lustra conduntur, omniaque
mortalium negotia disponuntur. His enim agricola se-
mentem facit & messem expectat, miles stipendia numerat,
locator ædes vel prædia aut vectigalia conductoribus tradit,
iisdemque fructus exigit, redituumque summas colligit:
his imperia & magistratus dantur, iisdemque deponuntur:
semperque unius finis alterius initio innectitur.

Cum vero ea, quæ sua natura fluxa & fugitiva sunt,
initiis, interuallis, finibus variis ac multiplicibus impli-
cantur

cantur: tum ea non minus, quæ firma & fixa habentur, hominumque studio coluntur ac possidentur, immane quantum terminis ac limitibus dissepata sunt. Regna & provinciae suis inter se discriminantur finibus, rursusque populorum & vicorum agri inter se diuisi decumanis & cardinibus continentur: singulorum autem ciuium possessiones, per strigas aut scamna diuisæ & assignata, sepibus aut terminalibus lapidibus definiuntur.

Vsque adeo nihil est, quod non mortales admoneat conditionis suæ, quæ nihil infinitum aut immensum admittit, sed vt ortus aliquod principium habet, sic per progressus determinatos ad certam & nullo pacto euitandam metam decurrit. Vt nemo nostrum solem eadem hora bis eadem cæli regione conspicit, sic numquam fieri potest, vt nos eosdem solis lumen iterum illustret. Prouehimur, quando consistimus, mouemur, dum maxime quiescimus: & tempora nobis æque cum agimus, fluunt, ac quum agere non valemus. Dies dici succedit, numquam priori similis: nec vquam iisdem vel animalibus vel ex terra prognatis exoritur. Hæc inter collocati postquam multarum rerum initia, progressus & exitus notauiimus, perque multarum regionum vrbiumque fines eundo redeundoque migrauiimus, suus quemque viuendi agendiue finisprehendit, terminusque ille, qui solus nulli cedit, gradum sistere omnibus imperat, etiam iis, qui imperare gentibus & iura pro arbitrio dare populis consueuerunt, aut qui illorum iussu & auctoritate finibus regundis præfecti de iustis regionum limitibus disceptant, quique præfecturis, prædiis & prouentibus ad principem pertinentibus rite locandis,

dis, fructibusque & emolumentis ad diem præfixum exigendis summo studio, parique integritate & prudentia operam impendunt.

Quum nullo quidem tempore desint exempla, quibus discamus, talem esse conditionem omnium, qui vitam ea lege acceperunt, vt reddant: magis tamen, quam vt negligi debeat, præclarum est illud, quod nuper penultimo Septembris die, qui sancto Michaeli in fastis sacer est, non sine lacrymis adspeximus. Quo enim die alienarum ædium incolæ maxime occupati sunt in sarcinis colligendis & ad noua hospitia transferendis; ii vero, qui suas operas aliis addixerunt, missionem petere potissimum solent: eodem vir amplissimus & maximis muneribus splendide defunctus, non sibi habitandi locum sed commorandi diuersorium hanc vitam fuisse datam ratus, commodissimis & amplissimis, quas a florentissimis maioribus acceperat, possessionibus excessit, ministerio, quod serenissimo regi ac patriæ dulcissimæ per complures annos præstitit, exiit, melioremque & perpetuam ciuitatem immunitatemque perpetuam fortitus est.

Vix quisquam lector erit, cui obscurum esse possit, quem ereptum vrbi nostræ doleamus virum: quin omnes, ad quos fama de obitu eius retulit, communem eam calamitatem existimabunt, quæ in vno capite Regis fidissimum ministrum & rerum, quibus præfuit, maxime gnarum, fenatus patriæ præcipuum decus, vrbis præsidium, ege-
norum perfugium abstulit, quo tempore florentissimæ ætatis vires profusus polliceri videbantur, fore vt multos per annos incolumis, ac magis in dies magisque per omnia bene meritus, ad maiora honorum incrementa perduceretur, suæque familiæ, suæ patriæ, suis amicis, & qui confi-

liis ac beneficiis eius sustinebantur, praesidio ac ornamento superesset. Enimvero ita visum est supremo rerum omnium arbitro, ut vir illustris, consultissimus & amplissimus, Dominus FRIDERICVS WILHELMVS HEROLDVS, serenissimo Porusiae regi a sanctioribus consiliis, ut & a rerum bellicarum & domanialium, finium etiam regundorum ac sylvarum & venationum cura, ciuitatis Halensis consul primarius, in tanta varietate munerum per omnia optime meritus, viuendi finem faceret, fragilisque corporis custodia liberatum animum ad beatissimas immortalium mentium sedes transferret. Quo magis autem omnium, qui nunc viuunt, & bene beateque defuncti viri virtutes cognouerunt, suffragio constat, incredibilem esse, quam in eius obitu non patriae tantum ciuitatis, sed vniuersi ducatus Magdeburgici publica res fecit, iacturam; profus ut commemoratione hac superferendum videatur, non nisi luctum & merorem auctura: postulat tamen a nobis hoc officium & illa, quam magnis viris debemus, obseruantia, & singulari iure exigere videntur, qui post multos annos venturi sunt, quibus tanti viri tamque commendabilis semper futurae imaginis recordatio non poterit succurrere, quin scire & cognoscere cupiant, quibus ille gradibus sublatus & tamquam alis subuectus ad nominis immortalitatem & summum laudis fastigium peruenerit.

Inter nobilissimas & patricias familias, quae salinatoriis feudis in hac ciuitate gaudent, per complura saecula celebratur illa HEROLDORVM, cui numquam defuerunt spectatae virtutis & industriae viri, quos aut patria amplissimis muneribus exornandos duxit, aut princeps eximio honore dignatus fuit. Hos inter nostra memoria floruit

ruit vir etiam post pia fata illustris & bonis omnibus commendatissimus, IOANNES CHRISTOPHORVS HEROLDVS, IC. regiae maiestatis Porusiae a consiliis regiminis & consistorii Magdeburgici ducatus, vt & venationum, sylvarum & finium regundorum cura, collegii VIIIuiralis, quod sacrorum in aede Mariana curam gerit, director grauisissimus, qui septuagenario tribus annis maior ante septem propemodum lustra communem mortalitatis legem subiit. Huic tanto viro numerosa soboles quindecim prolium nata fuit ex honestissima & nobilissima matrona DOROTHEA WILDVOGELIA: eratque noster in tam pulchra serie penultimus, cui nomen FRIDERICI WILHELMI imposuerunt parentes sui, quod annus MDCLXXX, qui ipsum a. d. VII. Augusti protulit, idem fuerat, quo Magdeburgicus ducatus serenissimo Principi electori, magno FRIDERICO WILHELMO, sacramentum dixerat.

Auus ipsi fuit CAROLVS HEROLDVS, patricius ac salinator, liberi praedii Diemitzensis hereditarius dominus, & ciuitatis patriae orator, cui materfamilias erat generosissima matrona MARGARETHA, gente SCHOENITZIA, cuius auctor IOANNES DE SCHOENITZ, Schcenitzæ, Barschauæ, Schranitzæ & Lachauæ dominus nobilitatis iura & insignia strenuis & laude dignis in bello factis ante sexcentos annos domui suae parauit. Huius deinde posterii ex Bohemia in hanc ciuitatem concesserant, feudaque salinatoria acquisierant: ex quibus ortum duxit GEBHARDVS DE SCHOENITZ, qui ex MARGARETHA, ELBINGII ALEMANNI, consulis Magdeburgensis filia, cognominem sibi natam suscepit, quam noster paterni generis

auiam veneratus est. Proauus IOANNES HEROLDVS, Diemitzæ dominus, & curator illius fontis, vnde præcipuum falis prouentum exspectamus, matrimonii iura colebat cum nobilissima matrona MARTHA, MARTINI DE RVSWORM & MARTHAE ZOCHIAE filia, nepti illustris quondam ICTi & cancellarii archiepiscopatus Magdeburgici, LAVRENTII ZOCHII.

Matrem pie defuncti viri DOROTHEAM fuisse, natu WILDVOGELIAM, supra indicabamus. Quanta hæc pietate, modestia, sedulitate & inter multos, quos ista tempora ferebant, aduersos & satis graues casus, constantia & in dei prouidentiam fiducia fuerit, complures supersunt testes, qui matronam hanc viam coluerunt & admirati sunt. Fuit illa soror illustris & celeberrimi viri CHRISTIANI WILDVOGELII, ICTi, quem academia Ienenfis inter eximia sua decora ostentat, quemque serenissimus dux Saxo-Isenacensis sanctiorum consiliorum participem habere dignatus est. Parentes ipsis fuerunt nobilissimi & tam conspicui virtutum decoribus, quam dignitatum ornamentis. GEORGIUS WILDVOGELIVS, vir consultissimus, & ob integritatem, prudentiam ac eruditionem principi AVGVSTO, archiepiscopatus Magdeburgici nouissimo administratori, valde charus, consiliarii apud ipsum tenebat locum, eidemque a sanctioribus litteris ac feudorum tabulis erat. Is coniugem sibi duxerat MARIAM, DANIELIS NICOLAI, ad quem primarium conducendi officium per amplissime patentem præfecturam Giebichensteinensem a principe delatum erat, spectatissimam filiam, feminam ad exemplum piam, probam, sedulam, suarumque rerum fatagentem. Huic GEORGIO pater erat GEORGIUS
WILD-

WILDVOGELIVS, qui electori Saxoniae a secretis camera negotiis erat, torique sociam habebat ROSINAM, IOANNIS SCHATTERI, electoralis Saxonici apud Weissenfelsenses quaestoris, filiam.

Non vltimum fortunae beneficium dixerunt sapientes viri, in nobili & praecleara vrbe nasci & educari; quoniam illa cum elegantioribus cultisque hominibus quotidiana conuersatio mores mansuetos & societati cultiorum hominum attemperatos a primis quasi vnguiculis imprimit & confirmat: multo tamen maius diuini fauoris beneficium habent, quibus optimi parentes in florente patria obtingunt & ad eam vsque aetatem conseruantur, qua rebus suis per se valent prospicere, illamque iudicii maturitatem adepti sunt, qua opus est, vt sub veri bonique specie ablandientibus vitis occurrere, & ne felicitati suae insidias fruunt, cauere possint. Neque enim quisquam sincerius amat, quam prudens & pius pater; nec liberius quisquam aut maiori auctoritate monet: ipsaeque matres in filiorum, quos initio bene formauerunt, animos blanda vi influunt, facileque impetrant, vt ab earum nutu & rectis admonitionibus pendere, deuia autem vitare, adfuescant. Atque illam felicitatem, in celebri vrbe & tam praecipis bonarum doctrinarum, quam exemplis abundante natus HEROLDVS noster accepit: hac autem altera & maiori minime caruit. Nihil enim magis curae parentibus fuit, quam vt primam aetatem rectissime effingerent; quod & per se fecerunt, & domi adhibitis, quantum ingenii se vires explicabant, idoneis praceptoribus. Quam vero primum publicae institutioni aptus reddebatur, gymnasii patrii, sub rectore PRAETORIO pulchre florentis, disciplina permittebatur, qua demum A. MDCCXCVIII. egrediebatur, quum publica oratione *de me-*

tamorphosi archiepiscopatus Magdeburgici in ducatum exposuisset.

Academiae Fridericianae civibus adscriptus praecipue observabat & auscultabat celeberrimos antecessores SAMUELEM STRYKIVM, CHRISTIANVM THOMASIVM, & quos superstites colimus, illustres viros IOAN. PETRVM DE LVDEWIG, cancellarium & IVSTVM HENNINGIVM BOEHMERVM, directorem, vt & philosophiae tunc apud nos professorem IO. FRANCISCVM BVDEVM. Sed nec alios, a quibus fructum capere posset, negligebat: omninoque cupiebat iurisprudentiam ita animo complecti, vt ceterarum disciplinarum, quae lucem illi accendunt, notitiam promptam sibi redderet. Quum solidos quatuor annos his litteris impendisset, eamque in schola iureconsultorum aetatem consequutus esset, qua prolytae ex antiqua lege censentur; virium ingenii periculum facturus cathedram publicam, cum praeside conflictus BOEHMERO, conscendit & *de collisione praesumptionum* suo Marte conscriptam dissertationem tam probe defendit, vt omnibus, qui ad audiendum frequentes confluerant, satis abunde faceret, atque hos inter optimo parenti suo non mediocrem gaudium excitaret.

Hoc specimine cognitum parens a se dimittebat, vt & alias academias cognosceret, & a celebriorum virorum consuetudine fructum perciperet. Praeter ceteros ipsum ad se alliciebat auunculus WILDVOGELIVS, qui Ienensem academiam tunc maxime illustrabat: Erfordiam autem vicinam inter alia commendabat etiam desiderium inuisendae sororis CHRISTIANAE ELISABETHAE, quae consultissimo antecessori GEORGIO HENRICO BRVCKNERO pridem nupta, tunc viduitatem & solitudinem matronali constantia perferebat. Francofurtum etiam

etiam ad Viadrum tunc adiit, COCCEIANI nominis illustri gloria allectus, ipsiusque vrbis, tam musarum cultu, quam commerciorum gloria insignis, cognoscendæ studio.

Hac excursione peracta domum repetebat, iamque totum se comparabat, vt possët in lucem conspectumque hominum proferre, quantum tot annorum industria doctrinarum vitæ vtilium collegisset. Non parum ipsi comoda hæc molienti patria sua videbatur. Florebat enim tunc in ea totius prouinciæ supremum iudicium, in quo summi momenti causæ, tam sacræ quam ciuiles, disceptantur: & præter hoc alia sunt tribunalia, vbi modeste auctoritatis discere licet, quomodo causæ orandæ, quæque tam iudicis partes sint, quam patronorum officia. Apud singulos gratiosum tam parentis auctoritas, quam ea, qua se ipsum commendabat, morum elegantia, singularis probitas & modestia eum reddebant: atque initia vtrique sic se dabant, vt magnos ad laudem & gloriam progressus videretur facturus esse, si se forensibus negotiis totum indulgere tunc voluisset.

Enimuero non istud erat stadium, quod decurrendum ipsi deus destinauerat. Huius enim prouidentia accidebat, vt HEROLDIA domus grauissimo tunc luctu afficeretur ob discessum illius, qui caput eius & dulce præsidium per XLVII. annos fuerat. Illius quidem doloris sensus ad plures perueniebat, qui tam pii parentis obitum grauius molesteque ferebant: magis tamen quam pro virili parte eum percipiebat ille, qui ex omnibus superstitionibus natu minimus erat, & consiliis eius vt dirigi porro optauerat, sic auctoritate & gratia commendari & adiuuari potuisse videbatur.

Ne vero irreparabilis iacturæ sensu in domo orbata nimum conficeretur; aliquod doloris lenimentum ex eo

sperabat, si per Germaniæ fines, atroci bello tunc flagran-
 tes, peregrinando varios non solum singulorum hominum
 casus, sed integrarum regionum & florentissimarum quon-
 dam urbium, coram adspiceret. Iter ad Francofurtum,
 Mceno adiacens, primo dirigebat: hinc in castra federa-
 torum Gallis ad Weissenburgum Alsatorum opposita, ex-
 currebat, atque Landauium iterum eodem bello a nostris
 obsessum, martisque cruentos labores ibidem inspiciebat.
 Hinc per Palarinatum Rheno adiacentem, ducatusque Cli-
 uia: & Montium ad Belgii federati prouincias perrexit, in-
 que iis solidam hyemem transegit. Hac exeunte, quum
 iam tempus nauigationibus minus extimescendum rediisse
 videretur, in Britanniam traiecturus nauem conscendebat,
 quam in altum iam prouectam tanta tempestas excipiebat,
 vt parum omnino abesse videretur, quin fracta & tanto tur-
 bine expugnata omnes, qui ea vehbantur, vndis submer-
 geret. Quum saluus tamen & incolumis escendisset, inque
 regni præcipuam urbem peruenisset, illius & regiarum ar-
 cium, ceterorumque, quæ ibi notatu digna habentur, con-
 siderationi tres impendit menses: hinc autem in prouin-
 cias regni discessit, Oxonium, Cantabrigiam, alias vrbes vel
 litterarum studiis celebres, vel commerciorum flore beatas,
 visurus. Quo vero minus, quam ipsi constitutum fuerat,
 satiari horum locorum iucunditate posset, efficiebatur lit-
 teris, grauem dilectissimi fratris, IOANNIS CHRIS-
 TOPHORI, consiliiarii Hassio-Homburgici, morbum
 ostendentibus. His expugnatus a proposito destitit, inque
 Belgium celeriter traiecit. Quo delatus vt recuperatam
 valetudinem eius intellexit, commode per Frisiam orien-
 talem, Bremam & Hamburgum reuertit, indeque per Mar-
 chia: vrbes Berolinum vsque perrexit. Tota tunc in luctu
 &

& squalore iacebat vrbs & aula regia, quæ immaturo obitu terris ereptam dolebat diuam SOPHIAM CHARLOTTAM, regis magnæ Britanniæ sororem, regis Borussiae coniugem, regis matrem, eiusque funeri exsequias parabat, tanto fastigio quondam collocata regina dignas: quas quum studio haud perfunctorio noster spectasset, iter ad suos perfecit, magnoque eorum gaudio domi exceptus est: tanto certe maiori, quod fratre natu maximo, perillustri domino CHRISTIANO AB HEROLD, qui nunc sanctiorum regis consiliorum particeps eiusque gratia florentissimus Heroldiani nominis & generis summum decus sustentat, comite aduentabat, matrisque viduatæ solatio haud modicam partem adiciebat.

Non adeo longum tempus domi exegerat, quum negotiorum causa ad aulam Saxoniae electoralem proficendum sibi intelligeret: quod tanto libentius suscepit iter, quoniam serenissimi Poloniarum regis maiestatem coram inuenturi & splendidissimæ aulae decora contemplandi occasionem a fortuna oblatam negligere virum iuuenem, qui se rei publicæ utilitatibus præparabat, minime decere videbatur.

Factum hac commoratione fuit, vt acres intelligentesque ingeniorum iudices animaduernerent, quam præclaras dotes huic viro tam natura, quam educatio & doctrinæ conformatio tribuissent, idque serio agerent, vt quicquid ab eo fructus expectari posset, id omne in suæ patriæ emolumentum transferrent. His igitur operam dantibus factum est, vt illi, qui tunc feudorum curiæ a secretis erat, adiungeretur. Neque tamen diu hoc satis luculento officio fungi poterat: quum A. MDCCX accideret, vt potentissimus rex Borussiae ex duobus, quos antea indicauimus, natu maximum fratrem ex hac vrbe Berolinum euocaret, amplissi-

plissimisque muneribus, quibus adhuc præest, & cum summa fidei & integritatis laude defungitur, præficeret; id vero simul se cupere ostenderet, ut nosser discessu fratris sui hic vacuefacta officia, quæ rerum ad venationes, sylvas & finium regundorum curam pertinentium administrationem respiciunt, in se susciperet, vix ab vlllo alio melius procurandorum, quam illo, qui a patre pariter ac fratre tot annis viderat & audierat, quæ rerum vsu longe melius, quam vlla institutione perdiscuntur. Missionem itaque Dresdæ petiit, eamque honorificam nactus, totum se clementissimi regis & domini nostri negotiis non minori fide & alacritate, quam vel patenseius vel illustris frater fecerat, peragendis consecrauit.

Eodemque anno amicorum, quibus maxime fidebat, consilio de quærenda vitæ torique focia cogitare cœpit, cuius amica consuetudine fessum quotidianis negotiis animum recrearet, prouida autem rei familiaris cura subleuatus tanto se magis totum impenderet demandatis muneribus. Obringebat autem ipsi florentissima ætate, virtutibus & venustate virgo AGNES ELEONORA, viri generosissimi, domini IOANNIS PATOWII, hereditarii domini clientelarum Newdeck, Gliche & Mallenichen, filia, quam a. d. XVII. Septembr. sollempnibus nuptiarum sacris sibi iunctam domum ducebat, quum ante paucos menses carissimam matrem suam inopinato fato amisisset. Nam quum futurum maritum inuisura sponsa, vna cum generosissima matre sua, huc proficisceretur, morbus subitus, quem apoplexiam fortem medici vocant, matrem corripuit, omnem domum tristibus lamentationibus impleuit, effecitque, ut gratissimæ hospites, quam viuam amplecti non amplius dabatur, supremo exsequiarum honore, quod vnicum supererat pietatis officium, prosequerentur.

Hoc

Hoc coniugium, cetera auspdatum & coniunctissimum, tandem etiam, post aliquot annorum expectationem, prole beatum deus reddebat, edita in lucem DOROTHEA FRIDERICA ELEONORA, quæ hodieque superstes omnibus sui sexus decoribus ornatissima virgo tam cari parentis iacturam acerbis lacrymis prosequitur. Nati deinde fuerunt etiam filii IOANNES WILHELMVS & CAROLVS FRIDERICVS, quos prima & tenerrima ætate sibi ereptos, alterum ambo parentes desseuerunt, alterius fato tanto acerbis pater solus ingemuit, quum ob matrem eius puerperam die XXV. Februarii MDCCXX. sibi ereptam, totus in recentissimo luctu & squalore esset, hocque nouo vulnere profundius feriretur. Nec reticendum est, quod ad viduatæ orbataque domus maximos dolores eodem tempore noua accessio facta sit, cum ornatissima & generosissima virgo GERTRVDIS IULIANA MAGDALENA PATOWIA, quæ sororem dilectissimam inuisum venerat, graui morbo correpta viuendi finem a. d. XXIV. Martii fecisset, atque sepulcro Heroldiano mandanda esset. Tria hæc carissimum hominum funera, intra vnus mensis decursum efferenda, non mediocri dolore affecerunt vtique virum præstantissimum: sed non fregerunt animum probe gnarum, quod ea conditione nascamur mortales, vt vita nostra variis casibus exposita sit, nemoque recusare possit, quicquid aliis potuit accidere. Nec e longinquo erant repetenda grauisissimarum calamitatum similia exempla; quum domestica plane occurrerent: quod quidem miserum & acerbum consolationis genus habetur, generosi tamen cuiusque pectus excitat ad enitendum, ne minus constantiæ in se ostendat, quam passi grauiora etiam maiores ostenderunt. Certe non minor fuerat luctus, qui parentem nostri a funere dile-

Elisima fororaliquando reuersum occupauit, quum tres
 filios eodem die mortuos, & filiam iam extrema agentem
 deprehenderet, eamque post pauculos etiam dies exspiran-
 tem coram videret. Ita scilicet sunt comparatae res homi-
 num, vt vnumquodque eorum, quae bona habemus, periculo
 semper aliquo fit obuolutum & quasi intertextum, nihilque
 in vita ab radice vna, velut arbor, prodeat, sed semper dul-
 cibus amara, iucundis acerba intermixta proueniant. Hæc
 inter sapientes animum abducunt ab iis, quae amissa sunt, il-
 lis autem se fulciunt & sustentant, quibus presentibus fru-
 untur. Quod egregio exemplo faciebat HEROLDVS
 noster, qui deo firmiter fisis, clementissimique regis gratia
 suffultus, his porro columnis niti perseverabat, & ab his fir-
 missimum praesidium expectabat. Neque enim obscure
 cognouerat, quanta rex ipsum gratia complecteretur, qui
 viri assidua & fideli industria delectatus, pristinis dignitati-
 bus A. MDCCXIV. illam adiecerat, vt cameralia principis
 negotia per ducatum Magdeburgicum consilio dirigeret,
 & prouentuum ex fodinis rationem haberet: cumque eo-
 dem anno, ob translata in metropolin collegia, quibus re-
 giminis administratio commissa est, opus videretur in hac
 vrbe relinqui viros, qui vectigalibus ex salinis & fodinis co-
 ram attenderent; huic procurationi aptum praeter ceteros
 eligebat & constituebat HEROLDVM; in quem etiam
 consulis primarii in patria vrbe dignitatem conferebat.
 Eundem postea a consiliis belli & rerum domanialium esse
 sibi iubebat. Atque hoc collegium erat, cui plurimum ope-
 ra & laboris impendit, ab eo maxime tempore, quo, morte
 abreptis senioribus, praecipua tot negotiorum cura ad ipsum
 peruenerat, per complures annos sustinenda. Eiusdem
 nomine adiunctus erat isti spectabili collegio, quod paupe-
 um

rum curam gerit, & eleemosynas in commune collatas dispenſat. Neque reticendum est memorabile studium rebus egenorum succurrendi beneficio fructus perpetuos laturus. Testamenti enim tabulis iussit, vt ex suis opibus centum thaleri pauperum vsibus numerarentur, qui ita prouide collocarentur, vt annui fructus ab illis redituri in vsum egentium distribui possent.

Alii labori, mandante rege, adstringebatur A. MDCCXXII. quo bina iudicia, in quibus ciuium causæ disceptantur, scilicet scabinorum illud cum salinatorio, coniungebantur. Iubebatur enim noster, tamquam senior cameræ consiliarium, ipsi assidere & a præside huius iam combinati iudicii proximum dicendi sententiam locum tenere.

Quum A. MDCCXXXII. memorabilis per omnæuum futura res accideret, vt multa piorum hominum millia, quæ in archiepiscopatu Salisburgensi delituerant, stebile emigrationis beneficium accipere mallent, quam Romani cleri iugum perferre & cognitam euangelicæ doctrinæ veritatem eiurare; tantæque optimorum hominum multitudini per fugium in suis terris Porufficis concedere serenissimi regis pietas constituisset: nemo aptior tot hospitiibus excipiendis & deducendis clementissimo regi videbatur, quam noster HEROLDVS, qui acceptis mandatis longe vltra fines obuiam aduentantibus proficisceretur, atque finitimos principes exorabat, vt transitum ipsis benigne concederent. Quam facile illam veniam impetrauerit, quam honorifice a serenissimo duce Saxo-Gothano, aliisque principibus, tunc habitus fuerit, & quanta beneficia in ipsos exules, summæ omnium ordinum beneuolentia, fuerint collata; qua diligentia studuerit, vt itinera ipsis commodissima redderet, omniaque ad benignissimam optimi patris patriæ volunta-

tem perageret: malumus hic scribendo non attingere, quam breuitatis necessàrio studio obterere: præsertim quum eorum, qui nunc viuunt, recentissimæ memoriæ hæc obuerfentur, qui autem post nos venturi sunt, in publicis scriptis de hac migratione editis meritorum Heroldianorum documenta inspecturi sint. Illud dixisse sufficiat, clementissimi regis exspectationi tantopere fidem, industriam ac dexteritatem viri satisfecisse, vt nouo honore amplificandam eius dignitatem sponte sua existimaret. Illorum enim numero HEROLDVM adscribebat, quorum consilio in sanctioribus & maximi momenti deliberationibus vti solet: atque maiorum etiam spem faciebat, si vitam indulgere longiorem is voluisset, cuius arbitrio & prouidentia mortalium negotia diriguntur.

Et videbatur sane a vegeta alacritate & viridi ætate eius exspectandum, vt per complures annos frui ipsius ministerio patria possët. Erat enim ad omnes labores impiger: cumque varium habere vitæ genus, propter officiorum rationes, deberet, modoque per rura, agros, siluas montesque vagari, & limites finesque lustrare ac perquirere eum oporteret, modo in vrbe versari regisque ibi negotia procurare, aut de ciuitatis salute in curia deliberare, vel pauperum subleuandorum curæ se impendere: his tamen ita plerumque sufficebat, vt raro medico aut iatroalipta egeret, & paucissimos omnino dies, per tot annos negotiis eximeret, quos corpori curando deposceret. Enimvero sunt aliquando latentes in corporibus noxæ, quæ ipso tempore augefcunt & confirmantur, tandemque a leuissima occasione excitatæ, tota simul vi erumpunt, & arcem vitæ oppugnant. Id accidisse optimo viro omnino videtur, in quo se, vergente nupera ætate, status quidam cachecticus &

& scorbuticus subito ostendebat, tantaque celeritate inualefcebat, vt nulla medicinarum virtus emendando malo sufficeret. Erat haut difficile ad coniuiciendum, id genus mali initio contractum fuisse, quum singulis fere annis in limitibus requirendis & recognoscendis multum temporis, sæpe incommodissima tempestate, esset impendendum, iisque diebus minime liceret vel iniurias circumfusi aeris euitare, vel iustam corporis curam adhibere. Atque vtinam vincendi mali æque fuissent expeditæ rationes, quam nihil industriæ reliquum fecerunt præstantissimi medici & chirurgi ad huius morbi curationem adhibiti. Enimvero abscessus prope dextram aurem exortus summa statim vi parotidem corripiebat, vicinasque colli etiam partes in communionem labis trahebat: vnde se humorum putredinosa corruptio ad manus vsque diffundebat.

Vires inter hæc minuebantur, quantum vis morbi increfcebat: omninoque sentiebat iam sibi instare illum, quem omnes præstolari debemus, diem, qui vitæ cursum terminaret & laboribus finem imponeret. Quantum itaque permittebat morbus, rebus mature componendis ita vacabat, vt, quæ sub manibus erant, negotia absolueret, sibi que ad emigrationem componendo vacaret. Dedit autem hoc deus optime defuncto viro, vt animo præfente & sibi rectissime constante vsque ad extremos languores, qui moribundo nouissimo die aduentante incidebant, morbi decursum sustineret, seque beatæ & tranquillæ dissolutioni christianorum ritu, piis meditationibus, colloquiis, precibus & sacrorum vsu præpararet. Hanc autem ipsi benigne placideque concessit deus hora tertia matutina diei XXIX. Septembris, qua mentem Christo consecratam ad æternas & beatissimas sedes transmisit, quum corpori iuncta illam, quam vitam dicimus,

20 PROGRAMMA ACADEMICVM.

per annos LVIII. & sex septimanas numquam otiosa, sed actionibus deo gratis, regi acceptis, patriæ salubribus, suæque familiæ proficiuis occupata exercuisset.

Aequum est tam illustris & patriæ quondam necessarij viri discessum lugere, non ipsius causa, qui, perpetuam felicitatem adeptus, aeternum fruitur illis bonis, ad quæ vocati & fidem deo habentes adspiramus: sed nobilissimæ familiæ, quæ summo ornamento præsidioque orbata acerbis lacrymis iacturam grauiissimam deplorat; & vrbis ac provinciæ, quæ HEROLDI sui fidem, peritiam, ac consilij prouidam promittitudinem sæpius in grauiissimis rebus desideratura videtur. Scorsim Fridericiana academia grauiiter molesteque fert obitum eius, quem iuuenem dilexit & optimarum litterarum studiis felici successu imbuit; virum autem ita suspexit, vt par est eos colere, qui amico & fauente animo musas prosequuntur, & earum emolumentis promouendis paratos se quouis tempore exhibuerunt. Tanti quidem fauoris immortalæ apud nos fore memoriã spondemus, atque ne immemores sint posteri, eosdem obtestamur. Vt vero cognoscat, quantopere dilexerimus beate pieque defunctum HEROLDVM; rogamus vos, ACADEMIÆ FRIDERICIANÆ PATRES AC CIVES, velitis hodie funus eius, quod decora pompa in cæmeterium deducetur, frequenti comitatu exsequi & cineribus eius bene precari: deinde autem ad concionem funebrem in æde B. Mariæ virginis a. d. XII. Octobris habendam conuenire, & quæ in laudem optime meriti viri, nostram vero admonitionem & excitationem differentur, attentis auribus auscultare.

P. P. a. d. III. Octobris MDCCXXXVIII.



Pon Zb 6455

2^o



K. Zigan
Buchbinderei





AD
 SOLLEMNES EXSEQVIAS
 FVNRI
 VIRI
 ILLVSTRIS CONSVLTISSIMI ET AMPLISSIMI
 DOMINI
 FRIDERICI WILHELMI
 HEROLDI

AC POTENTISSIMO BORVSSIAE REGI
 SANCTORIBVS CONSILII

VT ET

BELLICARVM ET DOMANIALIVM
 M ETIAM AC SYLVARVM FINIVMQVE
 REGVNDORVM CVRA
 IS HALENSIS CONSVLIS PRIMARII
 ER OMNIA OPTIME MERITI

A. D. III. OCTOBRIS CIO ID CC XXXVIII.

COEMETERIVM EVNDAS
 AE FRIDERICIANAE PATRES AC CIVES

QVO DECET OFFICIO

INVITAT

PRORECTOR

MVEL FRIDERICVS BOEHMERVS IC.
 SSIMO BORVSSIAE REGI A CONSILII AVLICIS
 ET IVRIVM PROF. P. ORDINARIVS.

HALAE SALICAE

NIS FRIDERICI GRVNERTI ACADEM. ET SENAT. TYPOGR.

1914 D 234

